



1. Haferung s. Joh. Carp. / diff. de perfectio-
nis Christiana studio, Wittenb. 1739.
2. diff. de Bileamo, inchantato-
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. diff. de communione sub
utraq. Wittenb. 1739.
4. diff. de causis cur Christus
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. diff. de theologo non tantum
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. diff. de momento endronis noui
anime fidelis, Wittenb. 1726.
7. diff. de defectibus afflictio-
num Christi a Paulo supplendis
ex Coloss. 1 v. 24. Wittenb. 1730
8. Hager s. Joh. Georgij / diff. deceptorum
proverbio: prox contra ducti sein
Act. viii. v. 5. Lipsia 1738.

9. Haymajer s. Christ. / Diff. de differentijs
quar Lex et Evangelium habent,
Tubinga 1727.
10. _____
questiones de Eucharistia
Sacra, Tubinga 1731.
11. _____
Diff. de invisibilitate Ecclesie
Tubinga 1735.
12. Halbauer s. Frid. Andr. / Diff. de Græcæ
vocii Enthusiæmi vera notione, jend 1771
13. Hamburger s. Georgy Alb. / Diff. de
jurejurando Davidis, jend 1723.
14. Hannekenij s. phil. Lud. / Diff. de jure
gratiæ principis Christiani in Reer
noxæ capitali, jend 1708.
15. _____
Diff. G. Arnoldum aristophæicæ
in re sacra convictum sistens, jend
1699
16. HardeSchmidj s. Joh. Nic. / Diff. de per-
fectione fidelium, Argent. 1705.
17. Hartmann s. Christoph. Ludov. / Diff. de
œconomia conversionis, Altorf 1709
18. Hauser s. thomæ Henr. / de Gentilium
salute non speranda, Rost. 1723.
19. Heben Streit s. Joh. Christ. / de discre-
pantiâ et consensu psalm. 18 et 22. f. 22.
Lipsiæ 1736.
20. _____
Diff. sistens Maacham a
regia revocatum, 1 Reg. xv. v. 17
Lipsiæ 1739.

21. Hebenstreit / Joh. Christi. Diff. de pane
Super Aquam mittendo, Lipsiæ 1737.
22. Hebenstreit / Joh. Christi. Diff. qua Hostes Kalou Stron
tionem indicatur. Lipsiæ 1726.
23. Hebenstreit / Joh. Pauli / Diff. de Summa
Scripturae S. autoritate, Jenæ 1701.
24. Hermanni / Joh. Gottfr. / Diff. de Harmonia
veritatum theologiarum Lipsiæ 1738.
25. Herubani / Joh. Georgij / Diff. Sicens.
examen ^{tentaminis} novæ versionis C. 1. Epistola
ad Romanos ab anonymo nuperime
edito, Wittemb. 1726.
26. Heumann / Christoph. Aug. / Diff.
de Christi passione Majestatica,
Gœttingæ 1735.
27. ——— Diff. de Baptizatis Triper
ton Nekron, Jenæ 1740.
28. ——— Crux criticorum Sacrorum
Joh. VIII. v. 6. iuste relicta, Gœttingæ
1738.
29. ——— Diff. de Christi amoris
erga homines immensurabilitate,
Gœttingæ 1735.
30. ——— Triga Schediasmatum
exegeticorum, 1. de conjugate
paulino, 2. de verbis Act. XIII. v. 48
et 2. de primis Apostolis, Jenæ
1738.

9. 1

L. N. I.

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE
PERFECTIONIS
CHRISTIANAE
STUDIO

EX
THEOLOGIA MORALI

PRAESES

IO. CASPAR HAERVNG D.
S. S. THEOL. P. P. O. ET ALVMN. RE
GIO-ELECTORAL. EPHORVS, ORDINIS
SVI SENIOR

ET RESPONDENS

IOANNES SCHWARTZ

DISTRITIO-TRANSYLVANVS, S. S. THEOL. STVD.
PVBLICE VENTILANDAM
SISTVNT

D. SEPT. cl^o lb CC XXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



E L E N C H Y S.

Prooemium, a monito Paulino, ad proficiendam. Ebr. VI. 1.

- S. 1. Naturae ductu ad innocentiam vitae inuitamur.
- S. 2. Voluntas Dei est unica perfectionis norma.
- S. 3. Huius voluntatis notitia habitualis Adamo concreata.
- S. 4. Voluntas illa quadruplicem perfectionem postulat.
- S. 5. Subiectiuam.
- S. 6. Obiectiuam.
- S. 7. Intensiuam.
- S. 8. Proensiuam.
- S. 9. Vno tamen habitu constantem.
- S. 10. Eo per lapsum perditio, nihil boni valemus.
- S. 11. Mouemur tamen per innazam, & scriptam praecipue legem.
- S. 12. Docemur etiam, nullam dari legis dispensationem.
- S. 13. Hinc conscientiae morsus, dolor & consilii inopia.
- S. 14. Usque dum gratiae manifestatio fiat in Euangelio.
- S. 15. Qua regeneratio & conuersio obtingit.
- S. 16. Et iustificatio nat' inueniatur Euangelicam.
- S. 17. Hinc unio Mystica, ad gratiosam cooperationem.
- S. 18. Et renouatio aut sanctificatio.
- S. 19. Quae inchoatur tantum non consummatur.
- S. 20. Antecellit tamen haec perfectio gentilium probitati.
- S. 21. Agnoscit certos gradus, si recte intelligatur.
- S. 22. Necessario exercetur, & tamen libere.
- S. 23. Maestatur a Deo insignibus titulis honorariis.
- S. 24. Quibus inuitari indies ad maiora conuadamus.
- S. 25. Non tamen assurgimus in hac vita ultra veram & seriam poenitentiam.
- S. 26. Erimus denique in coelis plane perfecti.
- S. 27. Quae sunt adhaec dictorum.

VITIMBERGAE
 TYPIB. ERBRAH. GOTTLOB. EICHELBERG.
 ACADEMIAE T. G. GRÆCI



rauiter monet Paulus eos, qui religionis Christianae fundamenta iecerant, vt ne semper in primordiis subsistant; sed nunc doctrinae, quam animo complexi erant, altiora superstruant, cum ait: Ἀφέντες, τὸν τῆς ἀρχῆς τὸ χριστῶς λόγον, ἐπὶ τὴν τελειότητα Φερώμεθα: *Relinquentes sermonem principii Christi, ad perfectionem feramur.* Ebr. VI, 1. Quod c. V, 12. dixerat σοφία τῆς ἀρχῆς, *elementa principii*; id nunc vocat *sermonem principii* vel *initii Christi*, vt innuat, Christum sermone suo Ioh. XIV, 23. seu euangelico, facere initium nostrae illuminationis & conuersionis, & totum illud negotium eodem persequi & perficere. Qui itaque initiali doctrina sit imbutus, illum oportere illam tenaciter mente complecti, & ad grauiora, illi superstruenda, conniti. Non enim Apostolus per illud: Ἀφέντες, *relinquentes*, id vult, vt fundamentalia dogmata penitus deserantur, destituantur & floccipendantur; Sed vt in toto vitae decursu, instar *σερώματος* & *θεμελίσ* seruentur, vt vniuersa vitae Christianae ratio in illis funderetur & consistat: Ipsis autem aliae atque aliae notitiae superaddantur, eaque omnia in praxin Christianismi conferantur, quo tota fidelium vita sit *πίσις διὰ τῆς ἀγάπης ἐνεργουμένη*, Gal. V, 6. Quod dum agit, vtitur verbo passiuo, *Φερώμεθα, feramur*, moniturus, ne suis viribus confidant, sed vbi que recordentur, Dei esse solius, *operari in nobis & velle & perficere pro suo beneplacito.* Phil. II, 13. Nostrum autem esse, *cum metu & tremore nostram salutem operari*: Neque desistendum, quo minus *ἰατροπὴν τῆς θεῆς* *providam Dei curam* & cooperationem expetamus. Moniti huius Paulini memores, constituimus de hac *Φορᾷ ἐπὶ τὴν τελειότητα*, studio & *conrentione ad perfectionem*, pro temporis ratione agere, & cum momenta, quibus ad hoc studium impellimur, tum modum & rationem, qua illud salutariter vrgetur, tum mensuram perfectionis, quam in hac imbecillitate obtinere datur, & citra quam subsistimus, lustrare & demonstrare. Largiatur autem Deus, vt tam arduo argumento digna proferamus, per eum, qui solus est perfectio nostra, Christum!

§. I.

Ipsa naturae nostrae consideratio nos conuincit, quod debitores sumus huiusmodi vitae, quae omnis naeui & maculae expertis, sibi perpetuo conformis & recta sit. Id quod gentiles sapientes vocarunt *naturam ducem sequi*; vel, *secundum naturam vivere*. Vid. Cic. L. I. Offic. c. XXIIIX. Deprehendimus autem in nobis eam vim animi, qua res diuersissimas comprehendere, inter se iniucem contendere, indeque, quae nobis vitia, aut noxia futura sint, elicere valeamus. Videmus insuper eam mentis facultatem, quae discrimen honesti atque inhonesti ostendit, simulque obstringit, vt honesta sequamur, turpia fugiamus. Quam conscientiam vocare solemus, quia est complicata plurium rerum scientia, nostri scilicet, nostri facti, legis, & horum omnium vel contentionsis, vel dissensionsis. Et haec eam habet efficaciam, vt, si eius dictaturam sequamur, quietem, voluptatem & laetiam afferat; si autem negligamus & procaciter spernamus, terreat, accuset & damnet. Idque tanto magis, quia voluntati nostrae ea est indita libertas, vt conscientiae suae aut sequi, aut negligere possit, quippe in vitamque partem flexilis. Quare si obtemperat, habet ipsam conscientiam, cuius suatum secuta est, laudatricem; si reluctetur, eandem accusatricem & vindicem experitur. Et quoniam voluntas est summa inter facultates animae nostrae, malum, quod illa sibi consciscit, in totum hominem redundat; bonum, quod ipsa amat, in totius voluptatem cedit. Hinc apparet, quod conscientiae in voluntatem imperium non sit *δυσωπτικόν* aut *τυραννικόν*, sed suatorium, quo, monstratis ex vtraque parte rationibus, & hinc quidem obiecto pudore & dedecore, illinc autem monstrata laude & honestate, ipsi facultas relinquatur, in vtram partem velit, se inclinandi. Quamquam naturaliter in eam partem propendat, quam commendauit intellectus. Quae cum nobis monstrant summam quandam rationem esse, quae naturae nostrae hanc normam insuerit, contra naturae dictamen agunt *Pontificii*, *Syncretistae*, & quotquot starum aliquem *indifferentiae naturalis* comminiscuntur, in quo homo neque ad bonum, neque ad malum fuerit obligatus: Qui per rationem & moratiores gentiles satis confutati sunt. v. Cic. l. c. L. III. c. III. IX. XVII. Et Scriptura testatur, gentes *φύσει τὰ τῶν νόμων* facere, Rom. II, 14. & ni faciant, a conscientia torqueri. v. 15.

§. II.

§. II.

Non potest autem homo, tanquam creatura rationalis, alio pacto sancte & intaminare vivere, nisi secundum solam Dei voluntatem: Nam sicut Deus est conditor & conservator hominis, reliquarumque creaturarum omnium; ita & solus omnibus leges agendi, & singulis quidem, pro mensura virium ipsis attributarum, praescribere potest. Et haec voluntas legislatoria, proprie loquendo, inter creaturas visibiles solos homines spectat, utpote qui soli mentem creatoris, lege expressam, cognoscere, secundum illam se & suas actiones explorare, & vnum eligere, alterum repudiare libere possunt. Haec enim requiruntur in subiecto, ad alienam voluntatem obligando. Sicut autem Deus non potest a semet ipso discordare; ἀπαρνήσασθαι ἑαυτὸν ἢ δύναται, 2. Tim. II, 13. Ita & homines omnes, eadem natura & dotibus praeditos, vult in voluntate sua conspirare: *Non adderis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo, ut custodiatis praecepta Domini Dei vestri, quae ego praecipio vobis.* Deut. IV, 2. Nempe ad sensum & argumentum legis divinae nihil addendum, neque ex eo subtrahendum; idque nec docendo, nec viuendo: Nam legem divinam ad speciales casus applicare, & ex praeceptis eius vniuersalibus particulares deducere, non tantum licet, sed & necesse est. Eadem voluntas Dei non est concipienda, ut lata quaedam via, intra cuius extremitates diuagandi spatium detur; sed est ἡδὲ στυγερὰ δειμίμην, *arcta via & compressa*, Matth. VII, 13. 14. Hic neque ad dextram, neque ad sinistram, declinare licet, Deut. V, 32. IV, 2. Horsum respexerunt Aristotelici, & quicumque virtutem in medio constituerunt, v. Valent. Velthem. peculi. de Formali Virtutis Differt. Grot. Proleg. in J. B. & P. n. 43. seqq. D. Durrius Probl. Moral. 51. Intelligunt autem per medium, non μεδεντικόν, aut per participationem; sed ἐπιπροσηγορικόν, siue per negationem tale. Hoc est, non, quod ex utroque extremorum participat, sed quod cum neutro quicumquam habet commercii, id quod Horatius ita expressit: *Virtus est medium vitiarum & vrrinque reductum.* Nempe, quod ad sanctam & intemerabilem Dei voluntatem congruat. Quare merito detestanda est Epicuræorum vesania, qui prouidentiam, eoque voluntatem Dei: restricticem erga genus humanum negarunt. Contra quos acriter disputat Lactantius Firm. de Opif. Dei c. VI.

§. III.

Ne vero quisquam causaretur, sibi ignotam hanc Dei voluntatem, ad quam internas & externas actiones suas exploret & componat; Optimum Numen in primæua creatione hominum cordibus illam impressit, dum ad imaginem & similitudinem suam creauit homines. Gen. I. 27. IX. 6. Hoc est cum ἐπιγνώσει, cognitione & sapientia, rerum diuinarum, humanarum & naturalium insigni. Col. III. 10. ἐν διανοουμένη καὶ διοικήσει τῆς ἀληθείας ἰνσπῖτια & sanctitate veritatis. Eph. IV. 24. Adeoque voluntas naturaliter propendebat ad Deum super omnia diligendum, & facienda omnia ex præscripto intellectus, recte illustrati; Omittenda autem, quæ ille omittenda indicaret; regendas item facultates inferiores, ne vnquam in actus inordinatos & peccaminosos erumpent. Sed & appetitus sensitiuus ipse tunc ita perficiebatur, vt intellectus recto iudicio, & voluntatis sancto imperio, prompt. & sine lucta se subiiceret, neque vlli motui vitioso locum daret. Vt rem eloquitur b. Bayerus Compend. Theol. p. 338. 271. Idque tam insigne donum & ornamentum humano generi futurum erat naturale, subiectiue, quatenus in homine, tantum naturali suo subiecto erat, idque comitabatur; perfectiue quatenus vt accidens inueniat naturæ eamque perficiebat, aptamque reddebat, ad munia sua recte obeunda; & denique transiue, quia cum natura humana propagari & transire in posteros debebat. Sapientiæ prudentiæque lumen tantum, quæcum nullus post lapsum mortalis, omni conatu suo acquirere valet. His recte consideratis, repudianda nobis est sententia Papistarum, qui imaginem diuinam prædicant fuisse donum aliquod supernaturale, quod saluis naturalibus viribus, potuerit adesse & abesse. Si vero Adamus vna cum Eua in imagine, & ad imaginem Dei conditus est, vt clara testatur litera, quomodo eadem potuit esse supernaturalis? Siquidem Deus in opere creationis erat autor & institutor naturæ. Magis tamen iidem errant, cum in primis hominibus rebellionem appetitus & rationis statuunt. At, si ex ipsa creatione homo habuit sanctissimam harmoniam omnium facultatum, intellectus lumen sequentium, quomodo tunc rebellio locum habere potuit? vid. Quendstad. System. Part. II. p. 12.

§. IV.

Quoque magis esset semper & vbique præsto hæc virium re-
stituti-

Etudo, non in *actu* quodam transitorio, sed in *habitu* permanen-
 te erat sita; qui semper, data quacunque occasione, parturiebat,
 & suggerebat, quid secundum sanctam Dei voluntatem facto omif-
 soque opus esset. Licet autem *vnus* esset imaginis diuinæ habi-
 tus, si in se spectetur, *in vnus* agendi, nihilo tamen fecius, prout
 habitus vel ratione subiecti, vel obiecti sui spectantur, & hic di-
 uersum respectum admittit, & vel *triplicem*, vel, vt aliis placer,
quadruplicem, perfectionem, comprehendit. Quatenus scilicet
 lex naturalis & moralis hoc pacto praestari & impleri postular.
 Itaque secundum b. Koenigium P. III. Theol. Pol. §. 641. & b.
 Quandstad. P. IV. p. 9. ea erat facultatum habilitate, Adamus, vt
 voluntatem Dei legalem praestare posset perfecte, perfectione sci-
 licet *graduum, partium & perseverantiae*. Vel, vt b. Danhaue-
 rus, qui eandem partitionem amat, Hodof. Phaenom. VI. p. 318.
 seqq. Poterat praestare obedientiae *perfectionem intensiue sum-
 mam, extensiue amplissimam, protensiue longissimam*. B. Schome-
 rus Theol. Moral. c. II. §. 2. *discretionem* amat, atque; Legem Mo-
 ralem postulare perfectionem *partium & graduum*. Vtrumque
 tamen membrum vicissim diuidit, & *partes* adducit partim *subie-
 ctivas*, partim *obiectivas*; *gradus* autem agnoscit tam *intensi-
 uas*, quam *extensi-
 uas*, aut *protensi-
 uas*. Quae si ad protoplasti habi-
 litatem referantur, dicendum est, Adamum integrum potuisse le-
 gem praestare omnino perfecte, *subiectiue, obiectiue, intensiue, &
 protensiue*. Sicut autem b. Valent. Alberti Comp. Iur. Nat. Part. I.
 p. 76. recte monet, iuris naturalis praeepta, prout illa in nobis
 hodie existunt, esse *reliquias imaginis diuinæ*, opposita autem,
 iuxta se inuicem posita, sese mutuo declarant; Nostrum est, hic
 paulo plenius hanc Adami perfectionem, tam *partium*, quam *gra-
 duum*, explicare, quo deinde melius constet, quanta sit nostra im-
 potentia, quanta item Dei in nos gratia, qua ex profundissima mi-
 seria erepti, viribus supernaturalibus donamur, in Christo iusti-
 ficamur, & demum in pristinam perfectionem plenissime resti-
 tuimur. Agemus itaque porro de hac *partium & graduum* per-
 fectione, qua homo integer radiare poterat; Schomerianam par-
 titionem secuti.

§. V.

Quantum itaque ad *subiectiuam* perfectionem, quae in homine
 integro notanda, consistebat illa in summa exactissimaeque
 omnium

omnium facultatum harmonia, & conspiratione. Quam & Christus poscit Luc. X. 27. *Diliges Deum, Dominum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua; & proximum tuum, sicut te ipsum.* Quomodo etiam Deut. VI. 4. legitur. Nolumus autem hic omnes apices sectari; sed breuitatis causa tantum notamus, inquit, quod amor Dei complectatur omnia praecepta, & officia, quae erga Deum exercenda sunt, siue interioribus animae motibus, siue dictis, siue factis externis. In quibus omnibus requiritur, vt procedant ex aliqua intellectus cognitione, rationis diiudicatione & approbatione, & voluntatis liberrima electione; Appetitu denique sensiuo, & facultate locomotiuâ, quando ad haec pieratis opera concurrunt, absque repugnantia sese voluntatis nutui submittentibus. Tum enim *subiectum* recte se habet, cum in illo nihil datur dissonum, aut reluctans; sed omnia ad legis diuinae iussum placide conspirant. Ad quod proinde duo requiruntur. Scilicet totius subiecti cum voluntate Dei legali, & Reum ipso consensio. Quae tum euenit, cum omnes facultates in ordine, qui in recta natura constitutus est, se inuicem excipiunt. Euenire autem non potest, cum obiectum, quod extriores sensus mouet, & communi sensui sese approbat, repente appetitur, non audito prius rationis iudicio, secundum legem Dei instituendo. Nam ipse Deus λογικὴν λατρείαν, cultum rationalem, exigit, Rom. XIII. 1. Hoc est talentum, qui, si secundum legem, vt in statu integro, praestandus sit, proueniat ex plena legis agnitione, & actus nostri ad illam conformatione. Secus enim subiectum recte habere & perfectio subiectiuâ praestari non potest. Necesse autem est, omnia in homine turbari, & naturalem virium ordinem conuelli, si detur naturalis inter superiores & inferiores facultates pugna; Quod Sociniani, Pelagiani, Pontificii, & Naturalistae plerique omnes volunt. At haec meruenda non fuisse in Adamo integro, testatur illud: *Deus creauit hominem v̄ rectum.* Cohel. VII. 30. Ad quae B. Augustin. de C. D. L. XIII. c. 14. *Deus enim creauit hominem rectum, naturarum auctor, non vique vitiorum; Sed sponte deprauatus, iusteque damnatus, deprauatos damnatosque genuerunt.* Rectus erat Adamus, quoad intellectum, voluntatem & affectus. Eadem rectitudo erga proximum requiritur.

§. VI.

Circa perfectionem *obiectiuam*, quam in Paradisi incolis suspicimus, occurrit duplicis generis obiectum, erga quod illa perfectio inculcate se habebat; *Personale*, & *reale*. Et personas quidem spectabat Adamus triplices; *Diuinas* tres in vna essentia indiuisa, aequalis potentiae & sapientiae. Nam mysterium SS. Trinitatis cognitum ipsi erat, utpote ad imaginem trium Deitatis personarum condito. Gen. I. 27. III. 22. Quas ipse etiam supra omnia reuerabatur, amabat, & ipsis confidebat, quoad concreata imagine regebatur. De *angelicis* personis quidem in historia creationis expressa mentio non fit; quis autem dubitabit, Adamum, cui reliqua creata omnia subiecta, angeli autem suo modo confociati erant, etiam horum habuisse exquisitissimam cognitionem? Vnaque cum iisdem creatorem suum concelebrasse? Iob. XXXIIX. 7. De caetero autem exacte ad voluntatem Dei erga ipsos egisse? *Humanas* autem personas, quo affectu prosequi scierit, prolixè demonstrari, si institutum ferret, posset ex verbis, quibus suam de sanctitate nexus coniugialis sententiam proferebat. Gen. II. 24. Scilicet arctum esse nexum inter filios atque parentes, arctiorem tamen inter maritum & maritam. Vnde de reliquis societatibus, quae ex hac oriturae erant, coniectura fieri potest, quam sanctus fuerit Adamo integro sensus. Neque minus erga *reliqua creata*, seu animata, seu inanimata, Adamum sensisse & intaminate serualse obligationem, pro diuersitate tamen illorum diuersam, prout scilicet Deus singulis vel nobiliorem, vel ignobiliorem vim tribuit; vel exinde colligitur, quod iustus fuit in illa omnia dominari, iisque in suum commodum uti. Gen. I. 28. 29. Factum illud fuisset viique sine omni naeuo, & cum debita aestimatione boni illius, quo Deus homines per singulas creaturas inactare voluit; conscientia recta & vndiquaque certa vbique occinente illud: *Noli perdere, benedictio inest*. E. L. XV. 8. Cum nunc omnis creatura gemat & angatur, sub *δαλεία τῆς φθορᾶς, seruitute corruptionis*: H. e. qua & ipsa corrumpitur, & ad corrumpendas alias, praecipue homines, rapitur. Rom. IX. 20. Tanto felicior erat Adamus, qui per concreatam sapientiam illustratus, in tanta creaturarum copia & varietate sciebat, singulis recte pieque ad Dei gloriam suamque salutem uti: Pro ea scilicet obligatione, quam Deus erga singulas volebat praestari.

B

§. 7.

§. VII.

Vbi autem & *lex*, & *res*, quas *lex* spectat, omnes clarissime & distincte cognoscuntur, ibi appetitus rationalis & sensitivus vehementius incenduntur. Vnde, cum in Adamo integro esset mentis cognitio limpida, reliquaeque vires nullo vitio corrumperebantur, necesse est, in ipso *intensuam* quoque obedientiae erga Deum perfectionem exitisse. Itaque cum singulas legis; diuinae partes, tum vniuersam ita dilucida perspectam habebat, vt neque ignorantiae minima labecula, neque falsae persuasionis, aut imaginationis contagio ibi locum haberet. Quae dicitur ἐπιγνωσις, cognitio Col. III. 10. κατ' ἐξοχην, quia omnes perfectionis gradus, tum Adamo debitas, complectebatur. Tum, initio scilicet existentiae humanae, ipsi debitas inquam; Nam crescere vtique & intendi poterat, & reuera προόδους fuisse aucta, nisi lapsus intervenisset. Cum cognitione iungebatur *supientia*, seu rationis acumen lucidissimum, quod omnes officii partes, dato quocunque momento, solide perspicere & aestimare valebat; Indeque voluntatem & appetitum fortius in consensum suasque partes pertrahere. Secundum illud: Εάν ὁ ὀφθαλμὸς σε ἀπλῆς ᾖ, ὁλον τὸ σῶμά σε φωταῖνόν ἐστί. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. VI. 22. Est autem oculus simplex, qui non tantum nulla obscuritatis aut ignorantiae nube obfuscatum est, sed & nullo in diuersa desiderio trahitur. Cumque ita Adamus valeret aciem in Dei legem desigere, vt ipse inuitus inde dimoueri non posset, sequitur reliquas facultates perfecta intentione secutos, & absque vlla remissione aut languore officium fecisse. Hinc testatur historia lapsus Gen. III. 1. seqq. ex nulla necessitate vel interna; vel externa, h. e. vel naturali, vel coactionis, sed libere Adamum lapsum esse, cum viribus polleret sufficientissimis, ad lapsum prohibendum. Diabolus etiam, cum sciret, ex intellectu rectitudine prodire omnes actiones hominis rectas; prius intellectum corrumpere aggressus est, obiecta falsa legis diuinae interpretatione, quam ipsum peccatum suaderet. Quare & tanto grauius est hoc Adami delictum, quanto procliuus ipsi erat, illud euitare. Vnde & merito Protoplastus Christo in hoc comparatur, quod vt Christus *imputariue*, ita ipse *inbaesue* maximus fuerit peccator, qui vnquam sub sole conspectus est. Rom. V. 18. 2 Cor. V. 21. Talem obedientiam *lex* postulat, quae summa virium *intensione* praestatur.

§. IIX.

§. VIII.

Quantum ad *protensuam* obedientiae legalis perfectionem, notum est, proh! dolor, Adamum illam non diu praestitisse: Etsi enim definiri nequeat, quot horas, aut dies continuari ille suam integritatem, illud tamen dubio caret, quod breui admodum tempore in illo statu fuerit. Verum id iam non agitur, an Adamus protenderit sanctam suam obedientiam diu; sed id quaeritur: Annon per vires concreatas potuerit in perpetuum profectui? Id quod omnino asseuerandum est. Nam per imaginem diuinam, quae erat totalis reſtitudo, cauere poterat, ne *priore excideret amore*; quod eueniebat quondam Episcopo Epheſino, in-
 tus labe originali sollicitato. Apoc. II. 4. 5. Per eandem etiam prohibere poterat, ne amorem suum diuideret, & tam mundo eiusque illecebris, quam Deo seruiret. Quod hodie post lapsum nimis procline est. Marth. VI. 24. Eadem imago robustum & idoneum reddebat, vt in explendis officiis, debitum ardorem, intensumque studium praestaret; neque fieret *ἕτε ψυχρός, ἕτε ζεστός, ἀλλ' ἀχλιαρός*, neque frigidus, neque calidus, sed tepidus, vt Laodicensis ille, Apoc. III. 16. Verum iusta virium contentione per omnes officii sui partes decurreret. Vbi vero haec triplex obedientiae perfectio, *subiectiua, obiectiua & intensiua*, in homine viget; ibi non est difficile in omnem vitam *protendere* obsequium. Haec videlicet erat perfectio pietatis in Protoplasto: Nam, quod Siracides c. XXXII. 22. ait: Ὁ πιστῶν κυρίῳ, προσέχει ἐντολαίς, καὶ ὁ πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, καὶ ἐλαττωθήσεται. *Qui credit Domino, attendit praeceptis, & ipsi confidit, non labetur.* Id omne in viribus Adami erat positum, vt crederet Domino, attenderet praeceptis eius singulis atque vniuersis, ipsi confideret, & sic a lapsu maneret immunis. Misere hic cespitant, quos supra notauimus, Pelagiani, Arminiani, alique, qui asserunt, ex creatione ipsa deriuandum esse *dissiduum inter rationem & appetitum*: Sic enim necesse esset, Deum ipsum sparisse malitiae femina in naturam humanam, eoque occasionem dedisse, abiiciendi habitualem reſtitudinem. Enormius tamen Zanchius de natura Dei p. 690. cum: *Fatemur*, inquit, *Dei ordinatione Adamum in peccatum lapsam.* Quod quomodo cum sanctitate Dei, ad quam primus homo conditus est, conciliari queat, huius loci non est, prolixè disputare.

§. IX.

Quamuis pro diuersis obiectis, circa quae occupatur haec obedientia, distinguatur, consistit tamen in *vno* tantum habitu *totali*; Qui pro differentia rerum & occasionis varios actus parit. Sicut alias habitus distinguuntur obiectis formalibus, ita etiam virtutes, quae hominem decent, pro varietate obiectorum, variam indolem & nomina distincta induunt. Quae distinctio etiam in integritatis statu obtinebat, vt Adamus varias virtutes, et diuerso quidem tempore, exercere valeret, etsi omnes ex vno habitu, imagine diuina, penderent. Qui habitus diuidi potest in partes analogicas, seu distinctos habitus particulares, non tamen in partes realiter diuersas. Cohærent enim inseparabiliter propter vnitatem principii & finis communis. Id quod ex rationis dictamine agnouerunt gentiles, quando disputarunt, quod, *qui vnam virtutem habet, omnes habeat.* v. Cic. de Offic. L. II. c. X. Scilicet, vt legis praecepta, quia ex vna & indiuisibili Dei sanctitate fluunt, a se inuicem diuelli non possunt; itaque neque virtutes habituales a se inuicem disiungi possunt. Id quod Iohannes I. Epist. c. IV. 20. testatur: *ὁ μὴ ἀγαπᾷ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ὃν εἶδεν, τὸν Θεόν, ὃν οὐκ εἶδεν, πᾶς δύναται ἀγαπᾶν: Qui non diligit fratrem, quem vidit; quomodo Deum, quem non vidit, diligere potest?* Ad quae b. Aegid. Hunnius: *Notandus indiuiduus nexus praeceptorum Dei, de dilectione Dei & proximi, quae sic connexa docet Iohannes, vt alterum absque altero negligi aut intermitteri non possit. Ideoque Iacobus ad illam adamantinam cohaerentiam mandatorum Dei respiciens, ait c. II. 10. Quisquis offenderit in vno praecepto, factus est omnium reus. Sicut praecepta non possunt diuelli, ita neque habitus mentalis, qui est legis ipsius idea, animo impressa. Potest tamen cessare exercitium huius habitus erga vnum vel alterum praeceptum, vt non interrumpatur ipsa perfectio habitualis. Quemadmodum Adamus integer curam filiorum, quos non habuit, non exercuit & nihilo tamen se deest perfecte integer mansit. Non enim cessatione actus, cum deest occasio, interrumpitur perfectio habitualis; Sed actu vitioso contrario. Quomodo & Adamus, contra voluntatem Dei voluntarie agendo, projecit perfectionem concreatam.*

§. X.

Sicut autem homo integer erat quasi viuus vigensque decalogus,

gus, ita nunc per corruptionem est velut inuersa lex, cum *uiuens sit mortuus*, I Tim. V. 4. *ὁν νεκρὸς τοῖς παραπτώμασι ἔστι, τοῖς ἀναειδίαις, existens mortuus lapsibus & peccatis*, Eph. II. 1. Vel, ut cum A. C. Art. II. loquamur: *Post Adae lapsum omnis homo, secundum naturam propagatus, nascitur cum peccato, h. e. sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia*. Neruose sane, in tanta breuitate! Quasi dicant pii confessores; Non tantum habitu boni destitui, sed & habitu, ad omnia mala praecipitante, tantquam foediissima lue, infectum esse hominem. Cum nihil boni possit, semper tamen foecundum esse, in Dei ignominiam & suam aliorumque perniciem. Quid enim boni operetur, qui Deum ignorat; SS. Trinitatem nescit; & vanissima quaeque de Deo sibi persuadet? Quae veri nominis *ἀδελφότης* est. Eph. II. 12. Quid boni praester, qui ne legem quidem diuinam, vnicam normam, secundum quam agendum, satis nouit? Sed multa vitia aut pro virtutibus, aut pro rebus saltem *ἀδελφότητος* habet; & sibi praecipuam quandam sanctitatem imaginatur, cum opera tenebrarum perpetrat. Exemplo est Paulus, qui fatetur, se ignorasse, concupiscentiam esse peccatum, nisi scripta lex dixisset: *Non concupisces*. Rom. VII. 7. Quid boni expectabitur ab eo, cuius cor prauum, affectus rebelles, & sensus omnes coeco impetu abrepti, feruntur, non qua debent, sed qua casu aguntur? Si quid boni forte fecerint, id non ab ipsis, vel scientibus, vel volentibus; sed a Dei directione, ipsis insciis & inuitis, proficiscitur. Hoc est, ut morum doctores alias loquuntur, *bonum quidem factum*; non tamen *bene factum* est. Quomodo Caiphas prophetauit, Ioh. XI. 49. Et Pilatus redemptionem humani generis promouebat, Deique decreta executioni dabat. Matth. XXVII. 24. collat. c. XXVI. 54. Act. II. 23. Quare in tali statu omnia hominum opera damnanda sunt, quia nec ex fonte puro fluunt, neque ad legem recte attemperantur, neque finem vere sanctum intendunt. Vehementer enim errant, qui persuasum habent, dari *actiones*, quae sua natura sint *indifferentes*; pro libera autem voluntate Dei vel bonae, vel malae fieri queant; Cum potius, quicquid boni vel mali euenit in creaturis, tale sit sua natura; Quia immutabili Dei sanctitati & iustitiae vel congruit, vel repugnat. In earum gratiam Deus, qui nec mutatur, nec mutatur, Mal. III. 6. Mutari non potest. Turpius tamen

& manifestius labuntur Pontificii, qui homini, in hac rerum corruptione arrogant vires, merendi gratiam Dei; fingentes, hominem hodieque ex viribus naturalibus posse *praecepta Dei facere, quoad substantiam actuum*. Quasi ad *substantiam actuum* bonorum non pertineat integritas interna; Nempe plena scientia, de liberatio, & libera electio; & externo tantum actionis humanae cortice Deus possit esse contentus. Conf. A. C. Artic. XIII. & Carpzov: Isagoge, in LL. SS. p. 487. Relinquitur itaque, hominem lapsum, qua talem, nihil boni praestare posse, vel ad Dei gloriam, vel ad suam salutem; quia legem praestare nequit; Quae *spiritualis est, cum ipse sit carnalis*. Rom. VII. 14. *venundatus sub peccatum*.

§. XI.

Sic prostrata post lapsum iacet iustitia & perfectio, quae homini olim concreata fuit. Quare quaerendum, quid boni nobis superfit, & quorsum id proficiat? Superest vti queaedam rerum notitia! Superest aliqualis cognitio Dei: τὸ γνωσθὲν τῆ θεῶν Θεωροῦν ἑστὶν ἐν ἀρετῆς, *cognoscibile Dei manifestum est in ipsis gentilibus* nimirum, Rom. I. 19. Colligi ex mundo adspectabili possunt quaedam Dei attributa, l. c. v. 20. Voluntas etiam & lex Dei per naturam nobis inscripta est; quae lex nobiscum nata dicitur quodammodo, quid deceat, quid dedecet? Habet etiam eam vim, ut obliget ad honesta, deterreat a turpibus & indecoris. Vnde sequitur conscientia tranquilla, post recte facta; turbata & inquieta, post secius admissa. Rom. II. 14. 15. Patet etiam, quod circa talia nobis superfit aliqua arbitrii libertas? Quia haec natura sunt sensibus & rationi subiecta. Quae autem talia sunt, ut per sensus innotescant, & per rationem diiudicentur; de iis fieri posse aliquam electionem, aut repudiationem, per se manifestum est. Sed nondum euictum hinc est, quod propterea homo opus vere bonum erga Deum aut proximum praestare possit: Nam ad hoc requiritur, ut is, qui colendus, satis cognoscatur, eius voluntas plene constet, & adsint vires ad illam plene praestandam. Iam autem, quae & qualia sint, quae de Deo naturaliter cognoscuntur, docet rotuplex de natura & proprietatibus Dei error, qui aliquando gentiles peruatit. Quantula sit notitia diuinæ voluntatis, docet absurdissimus cultus, qui hinc inde inuentus & vsitatus fuit. Quam autem nullae sint nostrae per naturam vires, ad faciendum bo-

bonum, vtcunque cognitum, ostendit illud Iacobi c. I. 14. 15. *Quilibet tentatur, cum a propria concupiscentia extrahitur & insecatur. Deinde concupiscentia, cum concepit, parit peccatum; peccatum autem, cum perfectum est, enititur mortem.* c. Senec. L. II. de Ira c. IV. Quae cum sit interna corruptae naturae necessitas, quis credat, hominem, sibi relictum, quicquam vere boni perficere posse? Etsi enim lex innata quaedam suggerat, vehementior tamen affectus illa subuertit. Imo & cognitionem legis ipsius naturalem esse nimis imbecilem, constat ex tot flagitiis, publica lege approbatis apud gentiles, caeteroqui cultiores. Valuit tamen natura apud solertiores ad suspicionem, fuisse naturam nostram aliquando integram, & infelici casu esse deprauatam. Id quod Philippus Mornaeus de Ver. Rel. Christ. c. XVI. XVII. prolixè demonstrat. Itaque necessariam esse expiationem quandam peccatorum; Vnde tam varia apud gentiles *ιδάσματα*, eaque absurda & impia excogitata sunt. Per quae tantum abest, vt medicina inuenta sit malis, vt potius facta sint maiora *παράποματα*.

§. XII.

Neque comminisci hic licet quandam *επιείκειαν* talem, qua Deus, intuitu *ἀδυνατίας* nostrae, iustitiae suae rigorem emolliat, aut legis regulam inflectat; Id enim simpliciter cum immutabili Dei sanctitate & veritate pugnaret. Quae postulat potius accuratissimam hominum *ἐμμόνην*, seu *perseuerationem* in lege. Secundum illud: *Maledictus omnis, qui non manet in omnibus, quae sunt scripta in libro legis.* Deut. XXVII. :6. Gal. III. 10. vid. b. Schorer. Theol. Moral. c. II, §. 19. Neque etiam *dispensatio*, seu exemptio ab obligatione legis fieri potest, qua Deus lege & natura nostra, nos velit immunes esse a debito legis implendae. Obstat enim & hic sanctitatis & iustitiae diuinae immutabilitas. Vnde quaeuis *ἀνομιὰ*, seu recessio a lege, seu voluntaria, seu inuoluntaria, simpliciter *ἀμαρτία*, seu peccatum pronuntiatur, 1. Ioh. III. 4. quod sua natura mortis aeternae reatum infert. Proinde vel ex legediuina detrahunt, & potestatem in summum ius sibi vindicant; vel humanis vitiis blandiuntur, & multa peccata ex peccatorum numero eximunt, qui operibus suis coram iudicio Dei consistere volunt. Illud olim fecerunt Pharisei, qui legis sensum tantum ad extantiora peccata restringere voluerunt. Matth. V. 20. seqq. Hoc hodie-

hodieque Pontificii factitant, dum peccata, quae non pleno voluntatis consensu committuntur, suapte natura venialia esse praedicant. v. Quenst. Syll. P. II. p. 147. Vtrique tamen pariter iniurii sunt in sanctitatem & veritatem Dei, a qua quicquid recedit, non potest non esse turpe & damnabile. Ut proinde impossibile sit, Deum ipsum hic quicquam dispensare. *Deus ut in essentia sua non mutatur, Ps. CII. 26. ita nec decreta sua, tam in promissionibus, quam comminationibus mutat, 1. Sam. XV. 29. Non Deus irritum, quodcumque retro est, efficiet, neque diffinget, infectumque reddet, quod sapiens semel ore dixit. Es. XLVI. 10. Vnde ipse nomen habet, Exod. III. 6. Ero, qui ero.* Verba sunt b. Tarnovii in Mal. III. 6. Vnde nec illi audiendi sunt, qui hic aequitatem quandam politicam defendunt, qualis in societate humana obtinet, qua alter ad alterius delicta conuiuet. Quo tenent Sociniani, cum *acceptilationem* diuinam teneant; Verum hoc pacto iustitiae diuinæ vis inferitur, & iudicium diuinum ex humano aestimatur. Quod vtrumque ἀτοπον est.

§. XIII.

Quid itaque proficit homo naturalis, cum legis diuinæ reliquias in seprehendit, & attente meditatur? Nihil omnino ad veram animæ tranquillitatem. Quae enim ibi tranquillitas expectari potest, vbi perpetuo viget *διαλογισμῶν ἢ κατηγορίας, ἢ ἀπολογίας, cogitationum aut accusatio, aut excusatio?* Rom. II. 15. Et vbi haec alternant, semper deprehenditur accusatio firmitate niti fundamento, utpote dictamine legis inexorabilis; indæque excusationem subuertere. Hoc domesticum est iudicium, quo nihil seuerius. Syllogismus practicus, cuius Maior est *συντήρησις*, dictamen legis innatae, eiusque praecceptum. Minor autem factum hominis, ex memoria ipsius suppeditatum & obiectatum. Conclusio autem sententia vel damnatoria, vel absolutoria. Vbi hi motus intra praecordia vigent, quomodo animus consistere potest? Potius ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται, *lex iram operatur.* Rom. IV. 15. Siue id explicemus de *ira Dei*, quam lex diuina nobis indicat, & declarat; cum nos conuincit, de foeditate nostra, & diuina maledictione, vt mens consternata non nisi iram Dei sentiat & extimescat. Vt b. Rungius Disp. VI. in Rom. p. 83. exponit; Siue de *ira hominis* accipiamus, quam lex per accidens accendit, per & propter

propter impotentiam hominum. Hi enim videntes, se lege vrgeri, neque tamen eius postulationibus satisfacere posse, exacerbantur in eam, eoque ipso peccata peccatis cumulant. Ut olim Alexander ab Ales P. III. qu. 60. membr. 6. art. 4. accepit. Vtro, inquam, sensu accipiatur, argumento est, quod ex lege post lapsum nihil solatii aut dulcedinis hauriri queat; Sed quod angor, dolor atque tristitia inde pariat. Etsi autem homo, qui expers lucis Euangelicae, alicunde solatii quid concipiar, id tamen recogitatione legis prosternitur, aut labefactatur. Exemplo Socratis, qui, memorante Erasmo, in conuiuio Relig. paulo ante, quam cicutam bibit, dixit: *An opera nostra sit probaturus Deus, nescio: Certe sedulo conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quod ille conatus nostros sit boni consulturus.* Vix spei nomen meretur, quae nititur dubia Dei approbatione operum! Sic ἡ ἐντολή, ἢ εἰς ζωὴν, ἀντὶ εἰς θάνατον ἐνεργεῖται, praecceptum, quod ad vitam datum est, inuenitur ad mortem cedere. Rom. VII. 10. Quod optimum & praestantissimum in homine lapso est, id ipsum accusat, terret, damnat. Quia nihil in homine est virium naturalium, quas lex requirit, & ad sui impletionem praesuppunit. Itaque misere caecutiunt, qui sibi religionem naturalem fingunt, & eam praedicant, reliquis omnibus praestare. Eos necesse est, demum experiri, se in extremam perniciem esse praecipitatos, & sua quidem culpa.

§. XIV.

In hac itaque salutis humanae desperatione, Deus nostri misertus est, non passurus, ut creatura sua, quam optimam in sui laudem produxerat, aeternum interiret, & nominis sui gloria simul detrimentum pareretur. Intuebatur, aliena fraude hominem seductum, simulque praeuidebat, humanum genus, non ex toto quidem, sed tamen ex parte, recepturum esse oblarum gratiam. Sed obstabat iustitia, quae expleri volebat; Obstabat veritas comminationis poenae Gen. II. 16. 17. quae sibi satisfieri poscebat. Interuenit itaque in consilio SS. Trinitatis pro nobis Filius Dei, ὁ παράκλητος, 1. Ioh. II. 2. & ἐντογγλάνων propterea dictus, Rom. IX. 34. in se recipiens nostras partes, ut & legem perfecte secundum omnes apices & nervos adimpleret, Matth. V. 18. & simul omnes

C

poenas

poenas, quas omnes homines peccatis suis promeruerant, lueret. Eoque pacto nos ab inferni reatu liberaret, & in salutem vindicaret. Id cum placeret in aeterno consilio, simul decretum est, suo tempore Filium *ἑξοδοῦ*, Act. 11. 23. quasi edititium & dedititium, tanquam hostiam pro delendis mundi peccatis offerre. Et haec hostia, in tempore persoluenda, tam efficax fuit, ut simulatque tristis Adami lapsus euenerat, eius intuitu laeta annunciatio fieret: *Semen mulieris contrituum caput serpentis*. Hoc est, omnia consilia Satanae, de aeternum perdendo homine, simul atque semel prostraturum & euersurum. Non tamen alia ratione, quam ut ipsum *calcanei morsum*, seu acerbissimum mortis supplicium, sustineret. Gen. 11. 15. Tandem, quarto circiter millenario expleto, venit tempus, tot piorum votis expetitur, quo Filius Dei *manifestatus in carne* 1. Tim. III. 16 Legem diuinam adimpleuit, dum *formam serui suscepit, obediens factus, usque ad mortem, mortem autem crucis*. Phil. II. 8. *Matth. XX. 28*. Expleto autem *νεώτερος* tempore, gloriose mortem infernumque triumphauit, in gloriam ingressus est, *aeterna nobis redemptione inuenta*. Ebr. IX. 12. Atque haec documento nobis sunt, vanum esse commentum Socinianorum, & quicumque ipsorum partibus accedunt, quod Deus ex absoluta potentia nos in gratiam recipere potuerit, nulla praestita satisfactione. Id enim cum veritate & iustitia diuina consistere non posse, satis ex dictis constat. Eadem difficultas occurrit in figmento acceptilationis, de quo paulo ante dictum est. Sic autem, inuento hoc temperamento, & iustitia diuina expleta est per satisfactionem Christi vicariam, & misericordia atque gratia libere dona sua in homines elargitur. Postquam Christus *captiuitatem captiuam duxit, & dona accepit pro hominibus*. Ps. LXIIX. 19. *Eph. IV. 8*.

§. XV.

Inuenta sic iustitia per Christum, caput causae erat, ostendere, quomodo illa fieret nostra, nobisque applicaretur & appropriaretur. Fieri aliter id non poterat, quam fide, qua iustitia aliena, sed loco nostri, & in nostram salutem, parta, agnosceretur & apprehenderetur. Manifestauit itaque Deus doctrinam Euangelicam, *verbum Dei viuientis, tanquam semen, non corruptibile, sed incorrupti-*

vuptibile, ex quo regeneremur. 1 Petr. I. 23. Sicut per generationem naturalem tribuitur potentia viuendi, vel actus vitales edendi; ita per regenerationem tribuantur vires, spiritualiter nos mouendi. Hoc est, cognoscendi Christum, Redemptorem nostrum, quam alioqui mundus ignorat. Rom. XVI. 25. & in quo sita est nostra salus aeterna. Ioh. XVII. 3. Addimus etiam, tribui nobis vires per regenerationem, Euangelio assentiendi, illudque, tanquam verbum salutis, approbandi. Denique etiam vires, in merito Christi recumbendi, fiduciam in illud collocandi, & illi secure inhaerendi. Vt vero vires hae per regenerationem stricte dictam conferuntur; ita per conuersionem actus credendi diuina virtute producitur. In illa emergit *ἐλεγχος*, seu talis argumentatiua conuinctio, qua homo non amplius de veritate Euangelica dubirat, sed certus redditur. Ebr. XI. 1. Simul & gignitur actualis fiducia, qua, missis omnibus, quae videntur aliquid pretii habere, solum Christum eiusque iustitiam nobis eligimus, quo nitamur, exemplo Pauli, Phil. III. 9. Vnde facile apparet, totum hoc conuersionis negotium esse opus gratiae diuinae, quod Spiritus S. per Euangelium operatur. *βαλῆθεὶς ἀπεκύνθη ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας volens genuit nos verbo veritatis.* Iac. I. 18. Quicumque itaque sibi persuasum habet, in tam arduo conuersionis opere hominem posse quicquam ex naturalibus viribus, vel inchoare, vel cooperari, aut perficere; ille perinde sapit, atque ille, qui putat, hominem seipsum creare, aut mortuum seipsum resuscitare posse. Videmus potius, quod Deus, qui solus initio imaginem diuinam contulit, & totum hominem creauit; idem solus hominem reparat & vitam fidei largiatur. Procul etiam facestant, qui spiritu fanatico ducti, existimant, regenerari aut conuerteri posse hominem absque verbo externo, per hominis praeparationes & dispositionem. *Ut fidem consequamur, instrurum est ministerium docendi Euangelii, & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit.* Ait A. C. Art. V.

§. XVI.

Cum per fidem prehendantur Christus, qui nobis a Deo factus est iustitia. 1 Cor. I. 30, simul etiam fit iustificatio. Quae est

actus Dei iudicialis internus, quo homo peccator, in Christum credens, iustus reatusque omnis expers aestimatur. Quia iustificatio respicit hominem, tanquam actio Dei *ad extra*, per se manifestum est, eam communem esse omnibus tribus Deitatis personis. Est autem actio *interna*, quia intra sinum Deitatis perficitur, neque permanentem effectum producit in nobis. Ut proinde suo merito erroris postulentur Papaei, qui ex iustificatione actum externum faciunt, & fingunt, in eo fieri habitus iuste pieque viuendi infusionem. Contra quos nos defendimus, iustificationem esse *actum iudiciale*, quo homo iudicandus non mutatur in se, sed agnoscitur, & iudicatur talis, qualis est. Ita Deus hominem, quem videri sibi applicasse iustitiam Christi, eaque iniustitiam suam texisse. Pl. XXXII. r. Rom. IV. 7. reputat iustum, ei iustitiam Christi adiudicat, iniustitiam, quae ipsi inhaeret, abiudicat, secundum ἐπιείκεσιν Euangelicam. Quod quomodo fiat, non difficile est iudicatu; si modo reputauerimus, quid sit *credens*? Nempe is, qui totam Christi iustitiam meritoriam, secundum Dei voluntatem, pro se & loco sui praestitam, sibi appropriat, eaque confusus gratiam petit. Atque sic homo credens facit Dei voluntatem, eiusque iustitiae ex aliena obedientia, Christi scilicet, satisfact: Ut Iohannes ait: ἐκ πληρώματος αὐτοῦ, ex plenitudine eius omnes accipimus gratiam pro gratia. Ioh. I. 16. Gratiam scilicet iustificationis & salutis aeternae pro gratia ea, quae nobis accidit in donato filio. Ioh. III. 16. Sic nos in Christo plane & perfecte iusti reddimur; quia iustitia Christi, seu impletio legalis a Θεανθρώπων pro nobis praestita, sit nostra iustitia, quae nullo naeuo aut macula laborare potest: Euadimus ἐν χειρὶ ἡ δικαιοσύνη τῆ Θεῶ; in Christo iustitia Dei, h. e. iustitia, a Deo requisita, & coram eius iudicio valens. 2 Cor. V. 21. Si autem credens iustitiam omni credenti. Rom. X. 4. Seu, ut Christus ait, cognoscens Christum: Ioh. XVII. 3. falsum utique erit, quod volunt Pontificii, scilicet fidem iustificantem esse potius ignorantiam & coecum assensum, quam claram & distinctam notitiam Christi. Per sui notitiam Christus multos iustificat, Ef. LIII. 15. non vero per sui ignorantiam. Calumnia etiam intolerabilis est, cum iidem iustificationem hanc, quam cum Paulo, Rom. IV. 5. in λογισμῶ, imputatio.

ratione, collocamus, tanquam *puratitiam*, imaginariam & fictitiam, traducunt & suggillant. Quomodo enim citra blasphemiam puratitia vocari potest iustificatio, quae fit a Deo, qui nec fallere, nec falli potest? 2 Cor. V. 19. fundatur in satisfactione Christi, vere & reipsa praestita, 1 Petr. I. 19. 1 Cor. III. 11. & vere praestat, ut homo sit iustus, imo *iustitia coram Deo*. 2 Cor. V. 21. Nos potius ineffabilem Dei gratiam erga nos veneramus, &, cum sciamus, iustitiam nobis, non nisi per fidem obtingere posse, cum discipulis Christi ingeniamus: *περόδες ἡμῶν πλν!* Luc. XVII. 5.

§. XVII.

Sicut Spiritus S. gratia nescit tarda molimina, ita eo ipse instanti, quo homo iustificatur, etiam SS. Trinitas in ipso habitare incipit. Nam cum iniustitia inhabitans huc dum arceuerit vnionem mysticam: *τίς γάρ μοτοχή διαισσην κ̄ ἀνομιλᾶ*; quae *communio iustitiae & impietati?* 2 Cor. VII. 14. Remota iniustitia, donataque iustitia Christi, Deus sanctissimus in homine habitare gaudet. Tanta vis est fidei, ut hominem ad recipiendum hunc hospitem reddat habitabilem & idoneum; v. Koenig. Theol. Posit. P. III. §. 582. Prout clare testatur Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget ipsum, & ad ipsum veniemus, & mansionem apud ipsum faciemus.* Job. XIV. 23. Maxima dignitas haec est, quam neque mens digne concipere, neque lingua commode effari potest: *Tunc enim habitat Deus in nobis, quando omnia nostra cogitata, dicta, facta ipsi placent, nosque abundantissima eius gratia perfruimur: ibi enim reuera regnum, coelorum & coelum Dei est: quam dignitatem nulla hominum lingua effari potest.* Ait b. Balduin. comment. in 1 Cor. III. 16. De qua cum ex Scripturis edoceamur, videndum est, ut sobrietentiamus, neque tanta gratia indignum quid confingamus. Accurate rem exponit b. Hulsemannus Breviar. c. XXIV. §. 3. h. m. *Causa formalis vnionis consistit in συνδυάσει. seu copulatione tam affectionum, quam substantiarum Dei & nostrae. Ita, ut inferat haec vnio formaliter animae & corporis nostri cum substantia totius SS. Trinitatis, & in specie cum Christo secundum veramque naturam artissimam conjunctionem, intimam immanentiam, substantiae diuinae & fidelis adiacentiam, gratiosam Dei ἐνέργειαν, & mysticam συνεργήσιν.*

Cauendum itaque, ne existimemus, hanc vnionem esse nudam operationem Christi in distans; qua ille, ratione substantiae longissime a nobis remotus, tantum sua dona nobis communicet; vt Pontificii & Scholastici opinantur. Quam quidem sententiam non possunt deponere, quoad tuerentur hypothefin, Christi humanam naturam arcto tantum loco in coelis includi. Quamquam ne collationem quidem donorum satis explicare possint, nisi admittant realem Christi in creaturis praesentiam. Nos agnoscimus, ad reuerentiam, quam Christo debemus, pertinere, vt credamus, ipsum esse nobiscum omnibus diebus. Marc. XVI. 20. esse in nobis. Col. I. 27. Et in nobis viuere & operari. Gal. II. 20. Neque eo delabendum est, vt cum Schwencfeldianis & Weigelianis, essentialem vnionem, ἀποθίσωσι, substantialem μεταμορφωσιν & χρισθισίαν somniamus. Quid enim magis contumeliosum esse possit in Deum & Christum, quam si nos, qui peccati reliquias deploramus, cum Deo ipso & Christo, Salvatore nostro, confundamus. Nos in imbecillitate nostra exultamus, cum sciamus, virtutem Christi in nobis, qui credimus, habitare, eiusque gratiam nobis sufficere, 2 Cor. XII. 9.

§. XIII.

Quia per inhabitantem Christum eiusque Spiritum agimur & impellimur ad bona opera, iam sequitur renouatio; qua errores intellectus tolluntur, ratio de veritatibus diuinis magis magisque conuincitur, voluntas ad obsequium flectitur, appetitus Spiritui subiicitur, & omnia denique membra iustitiae arma fiunt. In toto hoc negatio est & manet causa Principalis Spiritus S. vt pote inhabitator hominis, tanquam templi sui. 1 Cor. III. 16. Qui, vt domicilli sui architectus est, ita idem magis magisque exornat. Nam etsi homo iam incipiat esse συνεργός τῷ θεῷ, cooperarius Dei, 1 Cor. III. 9. manet tamen & hic verum illud Christi: *Sine me nihil potestis.* Iob. XVI. 5. Id quod Sacra Scriptura, vbi de renouatione loquitur, satis aperre docet: Nam, quando iubet ἀγγίζειν καρδίαν: Iac. IV. 8. alibi addit: ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας δια πνεύματος, in obedientia veritatis per Spiritum. 1 Petr. I. 22. c. 1 Iob. III. 3. Verbum autem ἀνανεώσαι, renouari, semel tantum occurrit in Nov. T. & quidem passiuè: Eph. IV. 23. Quemadmodum &

& ἀνανεῶσαι, renouari, quod bis solum legitur 2 Cor. IV. 16. Coloff. III. 10. sensu passiuo tantum occurrit. Similiter & ἀναζέσαι, cum de hominis renouatione vsurpatur, forma passiuia solum legitur. Hinc b. Quendstad. Syst. P. III. p. 636. ait: *Renouatio ipsa nihil aliud est, quam huiusmodi actus continuati, quibus habitualis sanctitas in homine efficitur, perficitur, continuatur & conseruatur.* Quando itaque renouationis vox a Theologis vsurpatur quandoque *intransitiue*, pro actu, semetipsum renouandi, vid. b. Scherzer. Breviar. Hulfem. Auct. c. XII. th. 3. p. 684. distinguendum est inter actus *paedagogicos*, quales sunt lectio & meditatio verbi, ruminatio sedula veritatum, animo comprehensarum &c. & *collationem* nouarum sanctitatis partium. Illi praestantur ab homine, sed haec manet solius Spiritus S. opus. Qua de re b. Schomeri verba Theol. Mor. p. 54. intelliguntur: *Crescunt conando vires, quoque acrius vires a Spiritu Dei concessas experimur, maiore facilitate ad ulteriores gradus prouebimur.* Ioh. XV. 2. 2 Cor. IV. 16. seqq. Caeterum in renouatione & sanctitate profecturis calcar addit, consideratio exemplorum, quae nobis in Sacris proponuntur. Vt Dei ipsius, Matth. V. 48. Eph. V. 1. Christi, 1 Petr. II. 21. Angelorum & beatorum coelitum, Matth. VI. 10. Et omnium denique, qui in militante Ecclesia nobis typi sunt. Phil. III. 17. Haec intuentes, & vel assequi, vel saltem aemulari dum conamur, dicimur *ἐνδυναμῶσαι*, confortari, Aet. IX. 22 Rom. IV. 20. *καταυῶσαι*, roborari, Luc. I. 80. II. 40. *ἀνδρῆζεσαι*, masculis viribus donari. 1 Cor. XVI. 13. *ἀυξάνεσαι*, augeri, crescere, 2 Cor. X. 15.

§. XIX.

Ex quibus omnibus sole clarius patet, quantumcunque contenderimus in hac vita, ad plenam perfectionem nos non pertinere, sed in initiis & conatu haerere & laborare. Adami integri perfectio continebat omnes gradus debitos; Sed illa erat ex creatione, operatio Dei, naturam instituentis. Beatorum coelitum perfectio est consummata; Sed orta ex *παλιγγενεσία* glorifica, Matth. XIX. 28. qua restituitur imago Dei non plene tantum, sed & cum auctario. Adamus poterat, si voluisset, omne peccatum cauere. Coelites adeo a peccandi periculo remoti sunt, vt nec pec-

peccare, nec velle peccare queant. Renati autem peccata tantum proaeretica, seu malitiae vitare possunt: Ab iis vero, quae ignorantiae, & imbecillitatis dicuntur, adeo non sunt immunes, ut potius cum Apostolo conqueri cogantur: *Velle mihi adiacet, at perficere bonum non inuenio: Non enim, quod volo, facio bonum; sed quod nolo, malum hoc facio.* Rom. VII. 18. 19. Quid itaque in hac naturae imbecillitate opus est? Nisi, ut agnoscamus naeuos nostros, nisi, ut conqueramur: *Miseros nos, quis nos liberabit a corpore mortis huius?* Rom. VII. 24. Simul tamen agnoscamus vbertatem gratiae, diuinae, quae, *vbi peccatum abundat, ipsa superabundat.* Rom. V. 20. Orandus Deus, ut peccati illecebras in nobis supprimat, & Spiritus dona adaugeat, quibus roborari, in via recta incedamus. Excitandi sumus mutuis adhortationibus, ne secundum carnem ambulemus, sed secundum Spiritum. Rom. IIX. 12. Luctandum interim spiritu, neque carni laxandae habentae sunt; quo his exercitiis pietatis *internus homo de die in diem renouetur.* 2 Cor. IV. 16. Dum itaque malo inhaerenti oblectamur, videmus, alienos nos esse debere a persuasione perfectionis nostrae: Iactant Sociniani perfectam legis impletionem; sed postquam Christum eiusque meritum omnino repudiarunt. Gloriabantur olim Anabaptistae de operum suorum perfectione; Sed quorum scelera adeo manifesta erant, ut publicae detestationi fierent. Nos nullam in renouatione, seu inhaesua sanctitate nostra inuenimus perfectionem; nec *partium*, nec *graduum partium*, quia, qui sollicitus est in vno praeecepto seruando, deficit in alio; Neque *graduum*, quia obstat *inmensarum diuagatio* Ebr. XII. 1. peccatum originale, vndique circumobstans, & a recti regula depellens. Sufficiat nobis, obtinuisse *partes Christianismi*, & in fide atque caritate vera & sincera stare. Haec sola perfectio nobis hic per gratiae auxilium possibilis est. 1 Ioh. III. 22. 23. Gal. VI. 6.

§. XX.

Quodsi tamen *compareretur* haec regentorum vita cum vita irregentorum, perfectior dici omnino meretur. Nam irregentini sunt mortuorum similes, qui neque sentiunt, neque volunt, neque agunt boni quicquam. Regentini autem supernaturali quodam

dam sensu, desiderio & agendi vi donati sunt. Iamque exultare possunt: ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι συνεζωποίησε τῷ χριστῷ. *Existentes nos mortuos in peccatis, cum Christo viuificauit. Eph. II. 5.* Quale itaque discrimen est inter vitium & mortuum, tale inter regenitum & irregenitum. Nam regeniti habent notitiam Dei trinitus & Christi; qua irregeniti destituuntur. *Delectantur lege Dei, secundum interiorem hominem. Rom. VII. 22.* Fide amplectuntur Christum, tanquam vnicum salus fundamentum, & per illum certi sunt de salute. *Rom. IIX. 38.* Sunt iam libertate praediti; liberi scilicet facti ab accusatione & damnatione legis: οὐδὲν καταλογισμὸν τοῖς ἔσθω ἐν χριστῷ ἠσθῆ; *Nulla est condemnatio illis, qui sunt in Christo Iesu; Quicumque & quocumque damnentur; ad ipsos nulla pertingit damnatio. Rom. IIX. 1.* Sunt & immunes a dominio peccati originalis: ἁμαρτία ὑμῶν ἢ κυριεύσει, ἢ γὰρ ἐστὶ ὑπὸ νόμου, ἀλλ' ὑπὸ χάριτος. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia; ait Paulus de renatis. Rom. VI. 14.* Non enim acceperunt spiritum mundi, sed spiritum, qui ex Deo est. *1 Cor. II. 12.* Vincunt mundum, quia, qui in ipsis est, maior est, quam, qui in mundo est. *1 Iob. IV. 4.* Iamque per Filium Dei liberati, vere liberi, ὄντως ἐλευθέρως, sunt. *Iob. IIX. 36.* Eatenus etiam in ipsis restituta est arbitrii libertas, vt possint libere eligere bonum spirituale, per vires supernaturales, in conuersione diuinitas acceptas; & libere eligere malum spirituale, per carnis reliquias, sibi inhaerentes. Verba sunt b. Koenig. Theol. Pos. §. 245. Part. II. Qui vtique est status perfectionis cuiusdam, si contendatur cum statu & sorte irregenitorum. Contumeliosus esset in Dei gratiam, qui illud negaret; non minus, quam vel Pelagianus, vel Socinianus, qui negat omnino, dari huiusmodi Spiritus S. adiuuenta in renatis. Optime b. Schomer. Theol. Moral. c. II. §. 16. Omnino iniuriosa in virtutem Spiritus S. quo regeniti ducimur, illa est multorum, in diem viuentium opinio, qua virtutes Christianas cum ethnicis ita confundunt, ne nisi sola fide supra illos praestare velint. -- Certe, non fidei tantum, sed & morum iustitiam, meliorem Pbarisica, nedum ethnica, in saluandis requirit Christus, vt absolute necessariam. *Matth. V. 20.* -- Si non maior esset regenitorum ad emendationem sui vis & vigor animi, quam, quo etiam gentiles assurgere potuerunt, nulli essent fructus Spiritus, nibilque ex regeneratione nouarum virium lucraremur. Haec ille.

D

§. XXI.

§. XIII.

Quaeritur hic merito, an haec regeneratorum perfectio gradus admittat, annon? Vbi distinguendum est, inter perfectionem hanc, *essentialiter* & *accidentaliter* consideratam. Si spectetur *essentialiter*, Metaphylice & entitatiue, quatenus consistit in viribus credendi & bene operandi, seu spiritualia opera edendi, non datur gradus: Neque enim perfectio haec, ex regeneratione redundans, in alio est magis talis, quam in alio. Sicut, quae b. Schomeri de hac re similitudo est, circuli magni non est maior perfectio essentialis, quam parui. Sin autem spectetur haec regeneratorum perfectio *accidentaliter*, tunc utique in illa notandi sunt diuersi gradus. Ita si consideretur ratione *subiecti*, cui inest, agnoscendum est, aliam alia firmitus inhaerere, & difficilius aboleri. Vnde fideles dicuntur *τεθειμελω μενοι*, *fundati* Eph. III. 17. Col. I. 23. & Petr. V. 10. Comparati a Christo cum aedificio, pae-trae superstructo. Matth. VII. 25. Hoc pacto magnum discrimen est inter perfectionem renatorum, quae amissibilis, & glorificatorum, quae inamissibilis. Sin ratione *obiecti*, praecceptorum scilicet legalium, erga quae exerceri debet, aestimetur, maior est, quae erga plura obedientiam praestat, quam quae erga pauciora. Quod discrimen itidem inter militantes & triumphantes Christianos notat Paulus; cum illis, vt *γνώσω*, ita & *πράξω*, *ἐν μέτρος* tantum; his vero *τὸ τέλειον*, *perfectum*, tribuit. 1 Cor. XIII. 10. 11. Quae differentia inter ipsos etiam viatores apparet, inter quos, etsi omnes infra perfectionem consummatam subsideant, tamen aliis concessa estabilitas, quae ad plura se extendit, quam quae aliis tributa. Denique si intueamur *effecta* habitualis perfectionis, ex regeneratione resultantis, agnoscenda est omnino graduum diuersitas, quatenus ad plura, vel maiora praestanda & efficienda quis diuinitus est aptus redditus, quam alius. Quo nomine iure suo aliis praeferre se Paulus poterat, cum inquit: *Περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοιτίασα. ἐγὼ δὲ ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡρῶν ἐν ὑμῖν.* Plura, quam illi omnes laboraui, non ego vero, sed gratia Dei, quae mecum est. 1 Cor. XV. 10.

§. XXII.

Cum autem haec perfectio fidelium sita sit in habitu, per media salutis, gratiose infuso; & quidem tali, qui non potest non bona

na opera parere; Quaeritur an bona opera homini renato sint *necessaria*? An vero sint *libera*? Vbi respondendum est: Esse & *necessaria*, & *libera*; diuerso tantum respectu. *Necessaria* quidem, non ratione *finis* obtinendi, quasi per eadem salutem consequi, aut promereri, aut etiam conseruare debeamus, vt Pontificii opinantur. Id enim, quomodo fieri queat, neque cum Scriptura S. neque cum ratione sana conciliari potest. Nam *gratia saluamur, non ex operibus, ne quis gloriatur. Eph. II. 5. 8. Gal. II. 16.* Neque etiam, si ratione *principii causalis* spectantur, ita sunt *necessaria*, quasi ex *coactione* & violentia externa procedant. Quae enim actiones inde fluunt, quia sunt reluctante intellectu & voluntate, bonae moraliter dici nequeunt. τὸ ἀγαθὸν ἡμῶν μὴ ὡς κατ' ἀνάγκην, ἀλλὰ κατὰ ἐκδοίον; *Bonum nostrum, non tanquam coactum, sed tanquam voluntarium*, ait Paulus, Philem. v. 14. Neque ita ex *necessitate interna*, vt causae naturales operantur, quae absque deliberatione, & electione effectum suum edunt, vt non possint non operari; neque possint alio modo operari. Nam & sic opera nostra bona moraliter dici non possent, & hominis, nedum Christiani, nobilitate essent indigna. Verum *necessaria* sunt, ratione mandati & praecepti diuini: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt bona opera vestra videant. Matth. V. 16.* Vnde sequitur *necessitas debiti*, seu obligationis: Nam quicquid Deus, vtpote creator, hominibus praecipit, ad hoc hi obligantur indispensabiliter. Vnde Paulus, cum Euangelii praedicatio diuinitus ipsi mandata esset, ait: ἀνάγκη μοι ἐπιτίθειται τῆς ἐναγγελιζέσθαι, *necessitas mihi incumbit*, h. e. obligor diuinitus, *ad euangelizandum. 1 Cor. IX. 16.* Ita & fideles, quilibet in suo statu, ad bona opera obligantur. *Necessario etiam sequuntur fidem*; Sicut corpus viuum motus; ita veram fidem bona opera sequuntur indiuiso nexu. Iac. II 17. 26. Neque tamen minus sunt *libera*, & procedunt ex libertate hominis, per gratiam restituta! Nam Spiritus Christi, qui in regentis efficax est, lucem affert mentibus, vt iam, quid bonum malum ve sit, discernere, eo delectari, idque eligere libere possint, Rom. VII. 22. Pf. CX. 3. Quae doua quo frequentius recordamur, eo enixius contendamus, ne *in vanum ea acceperimus. 2 Cor. VI. 1.* Sed prout *opportunitas datur, bonum agamus erga omnes, maxime vero erga domesticos fidei. Gal. VI. 10.*

§. XXIII.

Et si vero haec Christianorum perfectio, siue *habitualiter*, siue *actualiter* spectata, longe infra consummatam integritatem subsistat; Deus tamen ea, tanquam gratiae suae opere, delectatur, & insignibus titulis honorariis mactat: Vocat eam modo *perfectiorem*, τελειότητα, Col III. 14. Vbi, cum de caritate sit sermo, eam dicit Apostolus συνδεσμὸν τελειότητος, vinculum aut nexum perfectioris. *Parrim*, quod virtutes reliquas Christianas una cum fructibus earum & operibus, suo velut ambitu complexa sit, parrim vero, quod caritate totum corpus mysticum Ecclesiae velut in orbem perfectionis suae reducit, membraque simul omnia hoc vinculo in unum perfectum corpus deiunctantur & coagmentantur. Verba sunt b. Aegid. Hunn. in h. l. Conf. Phil. III. 15 Ebr. V. 14. Iac. I. 4. Et ex V. T. Gen. VI. 9. Pf. XV. 2. Iob. I. 1. 1 Reg. XXII. Modo *seruationem praeceptorum Dei*: τὰς ἐντολάς τῶ θεοῦ τηροῦμεν, praecepta eius seruamus. 1 Iob. III. 22. *Credimus in Redemptorem nostrum Iesum Christum: Qui enim non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et fides illa per caritatem fit efficax: ut propter Christum diligamus proximum nostrum, sicut ille dilexit nos.* Vid. Luc. Osa id. in h. l. c. Ioh. XIV. 23. Matth. VII. 24. Gen. XXVI. 5. Deut. XXVI. 23. Iob XXIII. 17. Luc. I. 6. *Modo impletionem legis, Gal VI. 2.* Vbi b. Calouius: *De impletionis voce recte Hemmingius h. l. Impletionis seu perfectionis vox duobus modis accipitur in Scriptura. Alias enim opponitur imperfectioni operis; alias simulationi, mendacio, hypocrisis.* Priori modo nemo legem Dei in hac vita implere potest; nisi vnus Iesus Christus, qui eam ob causam legis consummatio in iustitiam omni credenti, ab Apostolo praedicatur. At posteriori modo omnes filii Dei dicuntur legem Christi implere & c. c. Rom. XIII. 8. Apol. A. C. p. 84. *Modo καταγέμιστον, instaurationem, Eph. IV. 12.* Quod proprie significat luxati membri in ordinem suum restitutionem; Metaphorice autem, hominis gratiosam reparationem, ad tuendum ordinem & faciendum officium suum. Conf. Jean Caluin Commentaire in h. l. Haec quidem non de mensura plenitudinis & consummationis gradualis accipi possunt; testantur tamen de rei veritate & sinceritate ἀποκριθῶ. Qua homo, qui vere credit, etiam vere diligit Deum & proximum; neque peccat voluntarie & malitiose 1 Ioh. III. 6. 9. r. Quare, quanquam contra

glo-

gloriationes Pharisaeas sciamus, legem a nobis perfecte impleri non posse, meminerimus tamen etiam contra carnalem securitatem, quod implere illam aliqua ratione possimus. Ait b. Schom. l. c. §. 18. Qui & commendat verba b. Chemnit. II. Theol. de Lege Dei c. IIX. haec: *In singulis praeceptis haec doctrina diligenter inculcanda est: Et quomodo lex sit impossibilis, & quomodo impletionem eius habere possimus. Vtrinque enim periculosa, & saepe non ex ignorantia, sed ex petulantia erratur. Pharisaei fingunt, se posse singulis praeceptis perfecta obedientia satisfacere. Epicurei hoc velamine excusant omnes lapsus contra conscientiam. Diligenter igitur in singulis praeceptis ostendendum est, quomodo & quatenus lex sit vel impossibilis, vel possit impleri; & distinctim dicendum est de renatis & non-renatis. c. ibid. c. III.* Haec & similia in oculis habeat sincerus perfectionis Christianae studiosus, neque animum despondeat, quasi Deus plura ab ipso requirat, quam ipse auxilio gratiae praestare queat.

§. XXIV.

Quo magis incendatur proficiendi ardor, spectanda sunt exempla, in sacris commendata; *Deus*, pater noster, Matth. V. 48. *Christus*, velut ὁπογραμμός, 1 Petr. II. 21. *Angeli*, & beati coelites, qui διαπαντός Deum vident, Matth. XIX. 10. & concelebrant. Ef. VI. 3. Ps. CXXXVI. 3. *Adamus* integer, quoad reclusus incessit. Denique *speculum Scripturae* indefinenter inspiciendum, ubi, quicquid ad fidem & pietatem pertinet, sine vilo naeuo expressum videmus. Τα ἰσα γράμματα δυναμένα σοφίας εἰς σωτηρίαν, 2 Tim. III. 15. ἵνα ᾗμεν ἀγριοι, vt simus perfecti. v. 17. Iungi debent admonitiones diuinae, & praemia vincentibus proposita. Apoc. III. 21. *Cominationes* item, & poenae, quae negligentes manent, non priuatiuae tantum, sed & positivae Matth. XXV. 29. 46. Ne torpor subeat, & languor occupet, meditandum est auxilium diuinum, piis operariis largiter promissum: *Qui enim sperant in Domino, nouas subinde vires recipiunt, sustollent alas, vt aquilae: current, nec fatigabuntur, ambulabunt, & non deficient.* Ef. XL. 31. *Induenda sunt ἕπλα δικαιοσύνης*, arma iustitiae. Rom. VI. 12. 13. 14. Hoc est, sistenda sunt membra nostra instrumenta, ad expedienda opera sancta & iusta. *Membra nostra,*

stra, quae sunt animae, in corpore habitantis organa, non debemus peccati seruitio addicere: Non sine emphasi Apostolus membra nostra vocat arma; insinuat enim, totam nostram in his terris vitam debere esse continuam pugnam aduersus peccatum, in membris adhuc haerens. Vt h. l. commentatur b. Gerhard. Maxime autem fugienda est persuasio omnimoda perfectionis; quae vbi animus occupauit, necesse est, totum conatum, seu αγωνισμὸν, in hac vita tantopere necessarium, Luc. XIII. 24. languescere & fringere. Vbi languor in Chistianismo, ibi mors propinqua. Apoc. III. 2.

§. XXV.

Omnibus ergo diligenter expensis, fatendum est, perfectionem regenitorum in hac vita non ultra seriam veramque poenitentiam assurgere: Prout haec vox ὁμιλῶς accepta, agnitionem & horrorem peccatorum, simulque veram in Christum fiduciam complectitur. Quare & b. Lutherus dixit, inter Theses, Anno MDXVII. d. 31. Octobr. ad valuas templi arcis nostrae effixas, prima: *Dominus & magister noster Iesus Christus, dicendo, poenitentiam agite &c. omnem vitam fidelium poenitentiam esse voluit.* Etsi enim poenitentia, quae intus in anima vertitur, non maneat absque fructibus, foris prodeuntibus; Vt idem b. Vir Theol. III. addit: *Poenitentia interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationis.* Sunt tamen hi fructus ita imperfecti, & peccato inquinati, vt & eorum sit in conspectu Dei pudendum. Vt pote qui non ex Spiritu tantum, sed & ex nobis & facultatibus nostris corruptis procedunt, & hactenus non possunt esse absque macula. Comprobatur idem Artic. Schmalc. p. 327. *Poenitentia in Chistianis durat vsque ad mortem, quia luctatur cum peccato residuo in carne per totam vitam, sicut Paulus Rom. VII. 23. ostendit, se belligerari cum lege membrorum suorum &c. idque non propriis viribus, sed dono Spiritus S. quod remissionem peccatorum sequitur.* Conferri meretur D. Arcularius, in Act. XX. 21. & b. Dorscheus in Matth. III. 2. vbi probat, quod verbum μετανοεῖτε in N. T. totam poenitentiam significet, cui τὸ πιστεῖτε apponetur, vt pars Chistianae vitae praecipua. Neque aliud patitur conditio hominis regeniti, qui & peccati reliquias sentit, & Spiritus S. motus experitur: *Caro concupiscit aduersus spiritum; Spiritus aduer-*

aduersus carnem. Gal. V. 17. Carnis motus moerorem & dolores; motus Spiritus fiduciam pariunt. Carni relucendum, in spiritu laetandum. Tota etiam Ecclesiae praxis nos ad poenitentiam ducit, in Baptismo, in S. Coena, in Confessione & absoluteione, in concionibus, precibus, & quibuscunque pietatis exercitiis, humiliatio nostra & fiducia iungantur. Exemplo Pauli: *Glorabor in infirmitatibus meis, vt habitet super me virtus Christi.* 2 Cor. XII. 9. & v. 10. *βίαι ἀδελῶν, τότε δυνατός εἰμι.* Cum infirmus sum, tum robustus sum. Vel, vt Theophylactus reddit: *Nam & ipse tunc fortior sum, cum magis diuexor.* E haec fortitudo, qua contra peccata & mundum depugnant fideles, perfectio est, est gradualiter imperfecta.

§. XXVI.

Dum interim cum metu & tremore operamur salutem, & ad perfectionem consummatam tendimus, certa spei fiducia alimur, nos illam olim, post exutas mortalitatis exuias, in coelis obtenturos. Tumque *notitia* nostra erit perfecta, *intensioe*, ne vlli dubio relinquatur locus, & *extensioe*, ne quid, quod nos scire conuenit, nos fugiat. Cum visio specularis, qua hic in verbo & creaturis, educemur; in intuitiuam commutabitur 1 Cor. XIII. 12. Assensus autem noster, quem hic Deo diuinisque promissis praebuimus, tanto firmior erit, quia iam omnia habebimus praesentia, & rerum speratarum vsu fruemur. Si enim Samaritani, qui ex relatione verbali fidem in Christum conceperant; ipso conspecto, & audito, mirifice confirmabantur. Ioh. IV. 42. Quanto liquidior erit certitudo beatorum, cum Deum ipsum, Christum & angelos, vna cum tot conciliis gaudii coram intuebuntur? Imo tunc neque fiducia in Deum vacillare aut titubare poterit. Sed adeo robusta erit, vt plenissima inde sequatur satietas. Id quod Dauides confirmat, Ps. XVII. 15. *Videbo faciam tuam in iustitia, satiabor, cum euigilauero, imagine tua.* Tum demum explebitur, quod hic desideramus; Tum sentiemus illam saturitatem, qua hic destituimur, cum non poterimus non agnoscere, nihil nobis ad beatitudinem vel deesse, vel deesse posse; & cum in bonis illis coelitis voluntas nostra plane acquiescet. v. bb. Geierus & Gesnerus in h. l. Inde & sanctitati & iustitiae voluntatis nihil deerit; Neque appetitus laborabit amplius aliquo defectu.

vbi

vbi intellectus lumine purissimo totus homo gubernabitur suauissime; Et corpus gloria coelesti coruscabit: Cuius indigentia hic, dum mortalitatem sentimus, multis peccatis ansam praebet. Illic *ἰσαγγελότης*, quae omnia comprehendit, plenissimam afferet beatitudinem. Haec autem omnia ex visione Dei manant, quam, qui negant fore ocularem, viderint, ne veritatem & potentiam Dei laedant, fidem ipsam labefactent, quae nititur fundamento τῆς ῥητῆς. 1 Ioh. 111. 2. Iob. XIX. 26. 27. Pf. XVII. 15. 1 Cor. XIII. 12. Pf. XLII. 2.

§. XXVII.

Vt iam breuem dictorum *ἀνακεφαλαίωσιν* instituiamus, monemus; Perfectionis Christianae studium eo redire, vt respiciamus integritatem paradisiacam, reputantes, quantum boni, ea perperita, amiserimus. Vt miseriam, in quam per lapsum proiecti sumus, nihil nobis adulantes, humili affectu speculemur, cum filio *ἀπολάσω* dicentes: *Pater, peccauimus in coelum, & coram te, nec sumus amplius digni, vt filii tui vocemur. Luc. XV. 17. 18.* Vt vbterateme gratiae Dei suspiciamus, deuota mente demiremur, & in Euangelio, quod solum est virtus Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. 16. assidue solatium quaeramus, illudque, simulatque in Christo inuenimus, auide amplectamur, & firmiter reneamus, ingemiscetes: *Ne auferas ab ore nostro verbum veritatis, siquidem speramus iudicia tua. Pf. CXIX. 43.* Vt demum anhelemus patienter coelestem beatitudinem, qua, penitus liberati ab omni lue peccati, in perfecta sanctitate exultabimus; Deumque nostrum indefinenter glorificabimus. Interim ad serium perfectionis studium nos cohortemur trito illo:

Quis fueris? Quis sis? Quis eris? semper mediteris!

SOLI DEO SIT GLORIA.




00 A 6333

EO-3h
Feb. 01

Zha ✓

Me ✓





9.1
L N. 11
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE
PERFECTIONIS
CHRISTIANAE
STUDIO

EX
THEOLOGIA MORALI

PRAESES

IO. CASPAR HAERVNG D.
S. S. THEOL. P. P. O. ET ALVMN. RE
GIO-ELECTORAL. EPHORVS, ORDINIS
SVI SENIOR

ET RESPONDENS

IOANNES SCHWARTZ

DISTRITIO-TRANSYLVANVS, S. S. THEOL. STVD.
PVBLICE VENTILANDAM
SISTVNT

D. SEPT. cl^o lo CC XXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

